STUDI E TESTI.
16.

INITIA PATRUM

ALIORUMQUE

SCRIPTORUM ECCLESIASTICORUM LATINORUM

EX MIGNEI PATROLOGIA

ET EX COMPLURIBUS ALIIS LIBRIS

CONLEGIT AC LITTERARUM ORDINE DISPOSUIT

MARCUS VATTASSO


BIBLIOTHECAE VATICANAE SCRIPTOR

VOLUMEN I.

A - M

ROMAE
TYPIS VATICANIS

MDCCCCVI



IMPRIMATUR:

Fr. ALBERTVS LEPIDI O. P., S. P. Ap. Magister.

IMPRIMATUR:

IOSEPHVS CEPPETELLI, Patr. Constant., Vicesgerens.

PARENTIBVS MEIS

OPVS

APVD IPSOS INCHOATVM AC PAENE PERFECTVM

PIETATIS ERGO

D. D.

PRAEFATIO

Ex legibus, quas in codicibus recensendis nobismetipsis constituimus, praecipua omniumque difficillima ea est, qua praescribimus, ut quae opera impressa exstent et quo loco accuratissime notetur. Quam ut observarem, cum diu multumque insudassem, facile persensi quantae utilitati quantoque subsidio fuisset volumen, in quo initia scriptorum omnium in Mignei Patrologia Latina editorum ordine alphabetico disposita continerentur.

Quamvis enim *Initia librorum Patrum Latinorum*, sumptibus Academiae Caesareae Vindobonensis typis vulgata, quiddam mihi afferrent adiumenti, ea tamen nulli saepe usui mihi erant, quippe quae non omnia Patrologiae scripta comprehendant.

Ideo mecum ipse cogitavi: Cur non ipse aggrediar huiusmodi opus, in quo collecta sint principia omnium librorum, praefationum, carminum, epistularum aliorumque scriptorum, quae in Mignei Patrologia Latina inveniuntur? Placuit cogitatum; remque ilico aperui Francisco Ehrle, Bibliothecae Vaticanae praesidi dignissimo, qui propositum meum firmavit meque consilio et opera adiuvit.

Itaque feriis aestivis anni MDCCCXCVIII, amoeno in pago, in quo natus sum, libris e Bibliotheca Seminarii Montisregalis domum transvectis [1], operi manum admovi, neque subsequen-

[1] Iohanni Baptistae Ressia, Montisregalis episcopo, qui magna cum humanitate mihi permisit, ut libros mecum sumerem iisque pro opportunitate uterer, debitas ex animo grates rependo.

tium annorum feriis laborando destiti, donec rem ad finem perduxi.

Labor improbus quidem atque iniucundus, in quo tamen hoc animum erexit mihique stimulos addidit, quod sacrificium feriarum mearum magnum adiumentum viris omnibus erat allaturum, qui divinarum Litterarum auctorumque ecclesiasticorum codices evolvent.

Initiis Patrologiae Latinae absolutis, eorum quoque operum principia exscribere opportunum visum est, quae sive seorsum, sive in praecipuis scriptorum ecclesiasticorum corporibus post Mignei editionem primum in lucem prodierunt. Neque hoc satis. Cum enim exstent in Nova Patrum Bibliotheca Angeli Maii opera quamplurima, quae Migneus neglexit, cumque in eiusdem Mignei Patrologia Graeca multa inveniantur in Latinum translata, quae in libris manu scriptis non raro leguntur, placuit et horum omnium initia conligere, ne eorumdem omissio aliquid damni operi meo afferret. Tali modo inceptum opus sensim et paulatim adeo excrevit, ut non solum extenderetur ad omnia Patrologiae Latinae scripta atque ad antiquas Patrologiae Graecae interpretationes Latinas, verum etiam et ad opera in Nova Patrum Bibliotheca impressa, et ad ea quae seorsum vel in praecipuis corporibus scriptorum ecclesiasticorum post Mignei editionem primum vulgata sunt. Non diffiteor me ex hisce operibus, quae post Migneum seorsum typis excusa sunt, nonnulla omisisse: sed quae in hac parte desiderari possent, in Appendice ad alterum volumen supplebo, ubi praecipue locum invenient principia operum illorum corporum Patrum et scriptorum ecclesiasticorum, quae, ante Migneum impressa, ab ipso Migneo vel ex parte vel ex toto neglecta sunt.

Quantae utilitati sit huiusmodi opus nemo est qui non videat. Sciunt enim viri docti non raro evenire ut in libris manu exa-

ratis epistulae, tractatus, carmina aliaque huiusmodi aut nullum aut falsum auctoris nomen prae se ferant; ipsi sciunt unum idemque scriptum modo huic, modo illi auctori esse tributum; sciunt denique quae et quanta in codicibus describendis insit difficultas ea reperiendi opera, quae iam vulgata sunt: nemo igitur infitiabitur hunc initiorum indicem faciles et expeditas redditurum investigationes atque provisurum ne edita pro nondum editis habeantur, neve tamquam nondum vulgata typis excudantur, quae fortasse iam pluries impressa sunt.

Restat ut aliquid dicam de ratione, quam secutus sum; regulas referam, quas mihi ipse constitui; opera et corpora subiciam, quibus usus sum.

Mihi opus aggressuro duae viae patebant: una in hoc erat, quod non solum principia singulorum scriptorum, sed etiam tituli et auctorum nomina accurate exhiberentur; altera, quod auctores titulique omitterentur.

Prioris haec est utilitas, quod lector prima fronte agnoscere potest qua de re agatur atque, cum prae manibus Mignei Patrologiam non habeat, aliam eiusdem operis editionem adire; altera brevitati consulit impeditque quominus nulla necessitate tantae iam molis opus nimium augeatur: finis utriusque unus et idem, rerum editarum investigatio.

Quem finem nemo dubitat quin pariter assecutus essem, si hanc potius quam illam viam essem ingressus: adeo enim Patrologiae libri communes et in promptu sunt, ut facilis prorsus ad eosdem aditus pateat.

Hac ratione motus, breviorem viam secutus sum: sed ne quid lectori desit, singulorum Patrologiae voluminum copiosum indicem alteri volumini subiciendum curabo, quo qui Patrologiae libris caret, aeque possit ad effectum investigationes suas adducere.

Regulae vero, quas secutus sum, hae sunt:

1. Ex Patrologia Latina initia singulorum librorum, tractatuum, praefationum, carminum, epistularum aliorumque scriptorum exscripsi, quae ante saec. XVI cum Latina tum vulgaribus linguis conscripta sunt, Ulfilae tantum versione Gothica excepta.

2. Ex Patrologia Graeca operum principia ante saec. XVI in Latinam linguam translatorum transcribenda curavi.

3. Scriptorum initia, prout iacent in editione, exhibui, praeter duo vel tria prima verba, quae ubi erant errata correxi. Excipienda vero sunt nomina propria, quae fere semper rettuli prout in editione occurrunt.

4. Sermonum, homiliarum, commentariorum in Sacram Scripturam initia transcripsi ex verbis, quae locis divinarum Litterarum subiecta sunt: ubi vero loci unam efficiunt verborum comprehensionem cum iis quae sequuntur, tum prima locorum verba pariter exscripsi.

5. Corporum canonum, decretalium, constitutionum, si in libros distributa sunt, librorum initia, sin minus primum tantum initium exscripsi. Fragmentorum autem canonum et epistularum, quae inter se coniuncta sunt, primi tantum principium attuli.

6. Singulorum carminum, ut supra memoravi, initia dedi; cum vero carmina unum idemque opus efficiunt, prioris tantum initium transcripsi. Fragmentorum carminum primum versum exscripsi, qui non caret principio.

7. Diplomatum, bullarum et chartarum, invocatione, titulatione et dato omissis, initium ex prooemio desumpsi: cum vero prooemium initio mutilum est, vel una cum titulatione aut dato connexum, a verbis titulationis aut dati incoepi. — Capitularium invocationem et datum pariter omisi, et initium primi articuli plerumque transcripsi. Plerumque dico, quia si monitum, aut epistula aut verba explicantia praefixa sunt, horum dedi initium. — Synodorum invocationem praeterii.

8. Quod ad formulas attinet, initium tantum prioris plerumque exscripsi; itemque ubi agitur de orationibus, quae simul editae sunt.

9. Annorum numeros annalibus praefixos omisi; itemque simplicem mensium ac dierum significationem iuxta kalendarium Latinum, tum in ipsis kalendariis tum aliis in rebus.

10. Auctorum testimonia, saepe saepius singulis scriptoribus praefixa, praetereunda duxi.

Opera autem, quibus, praeter volumina ducenta decem et septem Patrologiae Latinae et centum sexaginta et unum Patrologiae Graecae, usus sum, haec sunt:

1. Amelli, S. Hieronymi... tractatus contra Origenem de visione Esaiae. Monte Casinensi, 1901.

2. Anecdota Maredsolana, seu monumenta ecclesiasticae antiquitatis ex mss. codicibus nunc primum edita aut denuo illustrata, voll. 1-3 (par. I-III). Maredsoli, 1893-1903.

3. *Archivio glottologico italiano*, vol. V.

4. BATIFFOL, Tractatus Origenis de libris SS. Scripturarum. Parisiis, 1900.

5. CASPARI, *Briefe, Abhandlungen und Predigten aus den zwei letzten Jahrhunderten des kirchlichen Alterthums und dem Anfang des Mittelalters (Universitäts-Programm).* Christiania, 1890.

6. CASPARI, *Eine Augustin fälschlich beigelegte* Homilia de sacrilegiis. Christiania, 1886.

7. CASPARI, *Kirchenhistorische Anecdota nebst neuen Ausgaben patristischer und kirchlich-mittelalterlicher Schriften. I. Lateinische Schriften, Die Texte und die Anmerkungen.* Christiania, 1883.

8. CASPARI, *Martin von Bracara's Schrift* De correctione rusticorum, Christiania, 1883.

9. FÉROTIN, *Apringius de Béja. Son commentaire de l'Apocalypse.* Paris, 1900.

10. Florilegium Casinense (in opere, cui titulus Bibliotheca Casinensis), voll. 1-4. Monte Casinensi, 1873-1880.

11. GEYER, Itinera Hierosolymitana saec. IV-VIII (in Corp. scriptorum ecclesiasticorum Latinorum, vol. XXXVIII). Vindobonae, 1898.

12. KAUFFMANN, *Aus der Schule des Wulfila. Auxenti Dorostorensis epistula de fide, vita, et obitu Wulfilae im zusammenhang der Dissertatio Maximini contra Ambrosium* (in *Texte und Untersuchungen zur altgermanischen Religionsgeschichte,* vol. I). Strassburg, 1899.

13. Liverani, Spicilegium Liberianum. Florentiae, 1863.

14. MAI, Nova Patrum Bibliotheca, voll. I-VII. Romae, 1844-1854.

15. PITRA, Analecta novissima, voll. I-II. Typis Tusculanis 1855-1888.

16. PITRA, Analecta sacra Spicilegio Solesmensi, voll. I-V. VII-VIII. Parisiis, 1876 - Monte Casinensi, 1882.

17. PITRA, Iuris ecclesiasticorum Graecorum historia et monumenta, voll. I-II. Romae, 1864-1868.

18. SCHEPSS, Priscilliani quae supersunt: accedit Orosii commonitorium de errore Priscillianistarum et Origenistarum (in Corp. scriptorum ecclesiasticorum Latinorum, vol. XVIII). Vindobonae, 1889.

19. Spicilegium Casinense complectens analecta sacra et profana e codicibus Casinensibus aliarumque Bibliothecarum collecta atque edita cura et studio monachorum S. Benedicti Archicoenobii Montis Casini, voll. I et III (par. I-II). Monte Casinensi, 1887-1901.

20. SWETE, Theodori episcopi Mopsuesteni in epistolas B. Pauli commentarii, voll. I-II. Cambridge, 1880-1882.

Quod ad operis editionem attinet, haec notentur: initia litteris rotundis imprimuntur, tituli et auctorum nomina litteris inclinatis; numeri crassiores volumina, ceteri columnas aut paginas indicant; numeri uncis inclusi signant columnas iuxta recentiorem Mignei editionem; voluminum numeri sine adiunctis ad Patrologiam Latinam referuntur; compendium *P. G.* Patrologiam Graecam significat.

Nunc autem praefatiunculae finem imponam; sed antea gratias refero condignas Francisco Ehrle pro doctrinae praesidiis mihi allatis, et Stanislao Le Grelle, conlegae et amico, qui duo vel tria schedularum milia ex Patrologia Graeca et ex quibusdam aliis libris exscripsit [1].

Opus viris doctis commendo, ipsique laeta facie suscipiant.

[1] Praeter quam ex Patrologia Graeca, Stanislaus Le Grelle initia transcripsit ex libris, quos sub numeris 4-8. 13. 15. 19 memoravi, et ex duobus primis voluminibus Florilegii Casinensis.

A

B

C

D

E

F

G

H

I

J

K

L

M


3 2044 004 561 338

